

quod dissentientes intelligat veteres ICTOS. Videamus igitur, an veri habeat speciem hoc, quod conicere audeamus, aduersa fronte inter se pugnare PAVLVM & POM-
PONIUM.

§. III.

Sed obiurgari mihi audio: Non est hoc nodum soluere, sed secare. Et est sane facillimum hoc, & negligentis fere iuris interpretis, contraria habere & pugnantia, in quorum conciliatione audentiores & diligentiores omnem ingenii vim adhibent. Quae alia est, nisi haec, praesumpta desperatio veri inueniendi, quam eleganter reiicit Curtius, reiecerunt omnes, qui ad amicam consonantiam haec loca redigere studuerunt. Nos vero, ne sic quidem secasse nos, sed soluisse omnino putamus nodum, modo constet, quis nodus ille sit, de quo *soluendo* agitur. Consistere autem is nobis videtur in recta vtriusque loci interpretatione. Immo dicis, in vtriusque conciliatione. Sed ita petis id, quod erat *in principio positum*, vt dialectici loquuntur. In omni enim interpretatione, quae recte & a ratione suscipitur, si quae occurrunt, quae aduersari sibi & repugnarere videntur, ante omnia & primo loco quaerendum est, vtrum sint contraria, an habeantur tantum? Nam si sunt, omnis conciliandi ratio, quamuis ingeniosa, & multa eruditione deprompta, falsa est, & in errorem incidit. Dein nec diligentiae quidem, nec audentiae laudem iis inuidemus, qui omni data opera in id allaborant,